

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Disputatio Theologica De Poenitentia Infantum Qua
Occasione Oraculi, Joel. II, 16. ...**

**Chladni, Martin
Schroeder, Johann
Vitembergae, 1719**

VD18 11653507

§. XIV.

[urn:nbn:de:bsz:31-130424](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130424)

regeneratos ad pœnitentiam vocari per verbum in ecclesia DEI resonans. Neque tunc prorsus auditus verbi excludi debet, quandoquidem non protinus ad actus reflexi præsentiam vel necessitatem valebit consequentia. Benedixerunt Jacobus & alii Patriarchæ filiis & nepotibus verbis ab ipsis auditis & a Spiritu S. ipso interdum consignatis: non tamen sequetur, puerulos omnes aut intellexisse ea aut mentem sibi revocasse instar adultorum. Valebat vero nihilominus benedictio Patriarchalis & valitura fuisset, tametsi filioli illi bimuli fuissent, neque dubium & Patriarchas verba sua eodem modo atque tenore ad ipsos pronunciaturum fuisse. Neque aliter Christus assumpsit infantes, blandissimis excepit verbis & iis benedixit, procul dubio *alloquendo*, ut sermonem audirent, etiamsi intellectu instar adultorum minime assequerentur, & effectum nihilominus sortita est benedictio. *Modus vero, quo verbum auditum fuit applicatum, nos omnino latet Marc. X, 16.* Ut ita, quando *auditum verbi removere* videntur Nostrates ab Infantibus, non sine grano salis intelligendi sint, nam aut loquuntur *de Infantibus nondum baptizatis*, in quibus Sacramentum Baptismi negotium conficit, non auditus verbi; tametsi ne hic quidem prorsus excludi queat: aut *de auditu cum intellectu ad verba pronunciata* instar adultorum attendente, conjuncto, qualis omnino excluditur. Id quod notandum putamus, ne Lector turbetur in lectione LYSERI, quando in discrimine inter adultorum & Infantum fidem constituendo inter alia negat, *hanc per verbum audibile produci p. 1440. & auditum verbi ad Infantes non pertinere scribit p. 1447.*

§. XIV. Quid itaque superest in Infante per baptismum regenerato quoad operationem Spiritus S. discriminis, quam *absentia, vel presentia actus interni reflexi & externi significandi*? Parum sane aut nihil. Videtur hoc

penetravisse LYSERVS aliquoties allatus, cum scribit: *Fides poenitentis a fide infantis eatenus differt, quatenus homo poenitens, nisi reprobus sit, an in fide sit, tentare se, probare & cognoscere queat. 2. Corinth. XIII, 5. Licet vero notitia illa reflexa intentatis obscurior sit, attamen in ipso illo tentato esse, licet non sentiat ex Scriptura dictis, quae unice DEO causam fidei assignant, & quod illam in non re-jicientibus producat, contra ipsas tentati objectiones probari potest & debet. p. 1530.* Si vero eatenus saltem differt fides adulti & infantis, sequitur, fidem Infantis esse etiam Infantis poenitentis, nisi velis fidem adultorum specie aliam a fide infantum facere, quod tamen praeter alios, quos tace-mus, multis argumentis gravissimis confutavit B. MICH. WALTHERVS Theologus hujus Academiae celebratissi-mus, in disputatione *de fide Infantum* & B. QVISTOR-PIVS in disputat. *de eadem materia.* Unde a verbo *ἀνεξαρ-τεστος* nequaquam excludendi erunt infantes, sive jam illud sit verbum *mandati* de agenda Poenitentia, sive *promissionis* de Remissione Peccatorum & aversione poenae, id quod haud obscure patet ex oraculis clarissimis *Act. II, 39. XXVI, 22.* quae ut fusius explicemus, brevitati instituti non permittit. Urgeri potest inter alia quoque *Act. XVII, 30. 31.* Ubi mandatum DEI de poenitentia agenda ubique & ad omnes homines pertinente, restrictionem ad solos adultos non admittere videtur. *Conf. SEB. SCHMIDIVS in Colleg. Biblic. N. T. p. 267. sq.*

§. XV. Redeo jam ad oraculum nostrum, & Joëlem *infantum* quoque *poenitentiam* serio intendisse & voluisse minime dubito. Fuerant illi jam circumcisi & in gratiam recepti, adeoque opus habebant perinde ac adulti poeniten-tia, quae decet regenitos, subinde tamen peccantes, & gra-tia & fide rursus excidentis, cui aliter, quam per poeniten-tiam ex ordine a Deo praescripto, subveniri non potest. Adeo-que